6

Ill.me et Ecc.me D.ne




Donum, quod ab Amplissimo Viro Dominico Molino superioribus diebus accepi, tu vir eruditissime tuis litteris largiter auctum reddidisti; docuistique me et aliquid addi infinito posse. Gratias tibi referre debeo, quas verbis agere nequeo. Hoc mihi saltem hic datum est, tuas laudes extollere, et grati animi mei vel signum hoc proferre in medium. Cuperem quidem, alias ignotus, et inglorius, pro hoc tempore tuis meritis eloquentiam. Sed virorum magnorum virtutem sequi solet adversum fatum, ut aut non sit qui laudet eos, aut laudibus imparibus eorum merita extollantur. Syphacem captivum, et Annibalem victum; Africam domitam, et Cartaginem dantem manus, et, quod his omnibus maius est, Scipionem cantavit Ennius, sed carmine rudi. Idem et hoc fatum illi, qui magnus Orbi fuit, cui parvus orbis, elicuit in Sigaeo lacrimas astanti ad Achillis tumulum. Hunc eadem te fortuna insequitur. Sed tu forte magis laudaris me silente, quam me loquente. Non aliter ac tu, de iustitia Fabricius, de patria Cicero, de libertate loquentur Cato. Iuppiter ipse, quod de Platone dixerunt veteres, si iura daret hominibus, tuo ore, tuo sermone loqueretur. Hominum sane generi prae caeteris utile, ac necessarium opus edidisti. Semper enim seu bello, seu vigente pace, pondere corporis pressa, et sensuum illecebris allicientibus, mens mortalium fertur effrenis, atque it in praeceps. Sed tum praecipue, cum de bello agitur, furore percita, atque ira et odio, vel quod omnium pessimum est, sine

ira

ira, et odio, lymphata, nisi cohibeant habenas ius, ratio, pietas,

Gens humana ruit in vetitum nefas.

Ab extremo Aquilone, et ab ultimis Austri sedibus erupere olim, et hodie passim videmus erumpere gentes in praelia: et in perniciem mutuam. Vnà Eurus, Notusq; ruunt:

quod si de causa interroges; non pro quibus, non in quos stringantur gladij; aut accendantur ignita belli fulmina sciunt: sed vili stipendio venalem ducentibus animam satis est, si homo in hominem saeviat, et super caesorum cadavera gloriosum putant trophaea si: struere debere. Hoc tu videns, eruditissime vir, marum admonuisti pio, iusto, fortunato calamo. Quid iura divina, et humana, quid natura, et gentium consensus omnium, suadeant, iubeant, vetent, edixisti: et nisi ferantur Principes, ferantur Populi praecipites in ferrum, docuisti eos aut pacem colere, aut arma tractare pia. Te duce, quantum fieri potest, aut

Dirae ferro, et compagibus arctis

Claudentur belli portae;

aut si iustitia cogente conclamatur ad arma, furor ille impius, quem mala extimulat dominandi libido, non fremit horridus, non urbes, non regna quatit; sed pro Deo, et Patria inter armatos exercitus, et inter hastas et gladios vexilla nitent, et serena facie sequitur laeta victoria, splendet et ipsum bellum. Bene itaq; de humana Rep.ca meritus, et cui pro tanto munere non unus ego, sed omnes populi gratias agant. Ego quae tu scripsisti attento legens animo, ò quanta miratus sum. Dum te scribentem intueor, Apollinem

video

uideo sedentem inter Musas. Tanta rerum cognitio, et eruditio, tanta phi=losophiae, historiae, rerum humanarum, diuinarumque notitia, tanta iusti atque iniusti scientia, ut non modo meum quale quale ingenium, sed doctissi=morum uirorum animos in sui admirationem rapere queat. Ac sicut caelum pluribus micans syderibus unico tamen, quod ex ijs constat, splendet lumine, sic ingenium, et opus tuum omnium scientiarum genere exornatum, uno, indiuisibili, et undique radios effundens inter belliber=bris, irarumque tenebras splendore nitet. Et uidi te quidem securus es, ut ad me scribis doctissimorum, quos antea uiderunt saecula, ducentem filum. Quomodo enim, nisi his praeeuntibus Dedaleas eludere ambages, et ancipitem tentare uiam, labirintheosque flexus tibi superare datum esset! His ducibus, iniusti belli indeprehensos, irre=meabilesque errores feliciter euasus de monstro uicto statuisti trophaeum. His ducibus, bellum pacificum, et bellatricem pacem nobis ostendisti. His inquam et a' quoque ducibus, si te audiant Principes, iam Virgo re=dibit, redibunt Regna Saturnia, et

ferrea primum

Desinet, et toto surget gens aurea Mundo.

Sed non tu, uir omnium clarissime, ex ijs, quas ad Dominicum Moli=num Reip. Ven. Senatorem, et Orbi toto notum uirum, dedi litteras, laborum tuorum fructum percepisti. Alia tibi debita magna merces, alia merces. Ingens sane labor tuus; insomnes dies, insomnes noctes: fecisti multa, tulisti multa. Verumtamen tanti laboris magnum, ut dixi, per=cepisti fructum. Quaeris quem fructum! Viuis. Non quinque

pulmones

pulmones pulsat, et agitat, ne cor internis suffocetur aestibus, vivere dicitur. Imo hic semper cedente natura, et viribus sub aetate cadentibus, cum morte luctatur iners, et ignavus athleta. Tuum est, ô vir eruditissime, vere vivere, per gloriam vivere. Cum per aulas regum caderent auratae trabes, nutabuntque murorum ingentis pinna, et omnia quaecumque extruxit luxus, et ambitio; Cum reges et regna ceciderint; post omnia bellica certamina, post exercitus fusos, et expugnatas Urbes, et propugnacula diruta; post hominum inimicum saevientium ferarum more, immo extra ferarum morem, pugnas, clades, sanguinem, ferrum; post Civitatum cineres, extremamque favillam, vivet adhuc, et stabit adhuc nomen Grotij nescientis occasum. O summi laboris proventum summum. Scripsisti pro Patria, pro Gloria. Sapienti patria Orbis est; per totum itaque terrarum orbem tui operis utilitas effunditur, per totum terrarum orbem tua gloria colitur. Magnus et admirabilis in bello, magnus et admirabilis in pace. Si de bello, si de pace scribis, es inter belli fragores magnus, es inter pacis fulgores magnus. Si de terra, terrarumque regnatoribus, capite caelum, pedibus antipodas occupas. Si per Oceanum liberum tua Virtus navigat, te maria non capiunt, et tuis laudibus angusta sunt illa infinita spatia, et illa sine termino immensitas, et ubi maria undique et undique caelum, ibi coarctatur tuarum laudum fama; et te scribente duplici die, duplicique sole refulgent aquae; et ipse tuis scriptis

Aspirant aurae in noctem, nec candida cursum
Luna negat, splendet tremulo sub lumine Pontus.

Filius




Felices, dixi, si te audiant Principes. Absolutissimum omnium efficient
opus. Postquam quod voluere potuerunt, volent quod decebit. Audiet equi=
dem Ser.ma Ven. Resp.ca, cuius nunc veneror praesens numen. Huius
artes praecipuae sunt, et erunt iusto Imperio contenta regnare, pacique
inter gentes omnes imponere morem. His artibus nata, his alta, his
credibita; his Imperium retinet, quibus comparatum est. Audiet inquam
ea, et erit caeteris Principibus ingens, sanctum, quod imitentur exem=
plar. Sub alato leone, unguibus ipsis retinente pacem, felices suddi=
ti vitam ducunt: ducent per annos, et saecula; et ipsa suis viribus, et
communi invicta fidei, non alios agnoscet terminos, quam quos agnoscit
Orbis temporis, et aeternitatis. Interim audiant et tuas preces Dii:
et tibi, mihique dent non terra aut mari latos Reip. Ven. materni fines,
sed fortitudine, atque iustitia; et inter Principes ideo semper magna
sit, quia inter Principes iustissima sit. Sit illa felicissima, sicut
es tu vir doctissimus; sicut doctissimum est opus tuum. Quo quid
maius dare poteras Magno Regi? quid iustius iusto? quid fortius
forti, bellatori, triumphatori? Non tu Principibus assentaris, non
vano blanditiis calamo. Non eos communi vulgo verum, et supra fidem clarus;
sed eo plus caeteris eos extollis, quo plus caeteris bonos reddis. Faxit
Deus, ut te omnes Principes audiant. Audiant Plutarchum vere phi=
losophantem cum Traiano, non Senecam frustra cum Nerone. Redibunt
Augusti tempora, pax, Imperium. Sed interim dum tu de bello disseris,
cum tempore bellum geris, et sub tuis militant signis fama, gloria,
aeternitas. Dum vero ego de te loquor, humili sermone loquor;

Veneratura

Venientem et ita me loquentem

Ipsa sonant arbusta Deus, Deus ipse:

Dij enim quodammodo sunt, qui divinis se ornant virtutibus, quibus tu:
teq;  Doctarum hederae praemia frontium
Dijs miscent superis.

Sed ubi ventus urget, carbasa non intenduntur. ita loquentis verba cadunt, ubi gloria ingentis viri diffunditur. Vela itaq; contraho. Alij de te loquantur grandi, et te digno cothurno, et Grottium resonare doceant non silvas modo, sed aulas Regum. Ita tu ubiq; et undiq; notus. Vir, de quo dicere possumus, quod Oraculum de Lycurgo, Deus inter homines, homo inter Deos, Dominicus Molinus antiquae Venetae, et Romanae virtutis specimen, cumulavit erga me sua munera, dum mihi Virtutem tuam dedit, me tibi reddidit addictum. Sit ille itaq; inter nos insolubile vinculum. Ego interim, si qua licet oblatione, duo Numina veneror, Virtutem Molini, et Grottij. Deus te servet incolumem litterariae Reip. decus, et praesidium.

Venetijs v Id. Augusti MDCXXXXV.

Dominationi tuae Ill.mae et Ex.mae

Addictissimus

Scipio Feramusca

Scipio Feramusca

457

7 Aug. 1635 Premysla.

Ill[ustrissi]mo et Exc[ellentissi]mo D. D[omi]no Hugoni Grotio.
Ser[enissi]mae Reginae Sueconum et Got:
Legato ad Regem Christianissimum:

Lutetiam.